



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Desiderius. Dialogvs Vere Pius, & Comprimis Iucundus, De  
Expedita Ad Dei Amorem Via**

**Comalada, Miguel**

**Elvaci, 1685**

Cap. XV. De virtutibus jam dictæ Humilitatis filiabus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60062](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60062)

tertiam, Vitæ Superbiam: Dili-  
gentiam contra quartam, Incuri-  
am vel Negligentiam: Benignitatem  
sive Bonitatem adversus quintam,  
videlicet Malitiam. Gratia DEI  
sit tecum.

*De virtutibus, jam dictæ  
Humilitatis filiabus.*

## CAPUT XV.

**H**UMIL. Hac videlicet ratione,  
Omnipotentis DEI gratiâ, &  
antedicti conjugis mei freta auxilio,  
inimicas meas atque adeò meipsam  
supero. Desiderius hujuscemodi  
sermonibus affatim recreatus, ait  
ad illam: DESID. Quæso, Domina  
Mater, cum bona venia tua liceat  
mihi virgines invisere, atque in ea-  
rum intrare familiaritatem. HUMIL.  
Agè verò, eas, fili, divina muni-  
tus benedictione: equidem ac libe-  
bens



bens hujus rei potestatem tibi facio. Tu interim Domûs hujus Procuratrix, illum comitare per totas has aedes, atque in cunctarum domicilia vel cubicula Virginum cum deducito. His dictis, Desiderius animo latus, ex Dominae sive Superioris cubiculo cum jam dicta virgine, cujus vocabulum est Nihilipensio, quae Domûs Procuratrix & Novitiarum Magistra erat, abscessit, ductusque est ab eadem in cubiculum virginis cujusdam, quae Humilitatis prima & senior filia erat, nempe Confessionis. A qua perbenignè exceptus, ubi apud eam resedit, ait illi: DESID. Obsecro, soror mea, vitam & condiciones tuas mihi ediffere. CONF. Dicam, filia sum Humilitatis, atque optimae hujus Procuratricis discipula, cui me frequenter adjungo, ejusque delector societate & consuetudine, ex animo agnoscens & confitens quamnam sim, talem videlicet, qualem ipsa me agnosco & sentio.



Desiderius primam hanc virginem  
haud vulgaris comperit esse virtutis,  
eò quòd simulationem & vanam glo-  
riam haberet exosam, sicque ab ea  
recessit. Mox à Procuratrice ductus  
est in cubiculum alterius filiaè Humi-  
litas, cujus vocabulum est, Appe-  
titio contemptûs. Quæ itidem fa-  
miliariter eum excipiens, iussit se-  
cum residere, dixitque ei Desideri-  
us: Precor, mea soror, nomen, vi-  
tam, & conditionem tuam mihi si-  
gnifices. VIRGO: Nomen mihi  
est Appetitio contemptûs, nihili-  
pensionis, abjectionis, & à nemi-  
ne velle honorari aut alicujus pensi  
haberi. Mirabatur impensè Desi-  
derius, audiens hanc virginem usque  
adeò sui contemptum desiderare,  
quando id ab hominum usu & con-  
suetudine prorsus abhorret. Sen-  
tiebat autem virginem eam esse vir-  
tutis eximiae, eò quòd ob Amorem  
DEI id appeteret. Itaque illi vale-  
faciens, à Procuratrice in tertiaè Hui-  
mi-



militatis filia cubiculum introductus  
 est, cujus erat vocabulum, LÆTOR  
 DUM DESPICIOR, sive GAUDEO  
 CONTEMNI. Quæ similiter hilari  
 animo eum suscepit, eique cum as-  
 sedisset, sic eam affatus est: DESID.  
 Precor, charissima virgo, de no-  
 mine, vita, conditione tua certio-  
 rem me reddas. VIRG. Equidem  
 me contemni, premi, derideri, ac  
 nihilipendi lætor, idque ob Amo-  
 rem DEI. Stupens Desiderius hu-  
 jus virtutem virginis, ait illi: DESID.  
 Dic mihi, oro te, soror, quibus  
 modis virtutem hanc tuam adipisci  
 potero. Siquidem hujus planè di-  
 versum in me sentio. Dum enim  
 malè tractor, despicior, vilipen-  
 dor aut vituperor, non solùm non  
 gaudeo, sed tristor etiam, atque per-  
 turbor. VIRG. Hujus ratio est,  
 quòd humilitatis expers es, quæ id  
 habet, ut sese quis nihilipendat, ac  
 ob Amorem DEI contemnat, & du-  
 cat pro nihilo, signumque hoc evi-



dens est, privato amore, magnaq;  
 superbiâ, & ingenti tui existimatione  
 plenum te esse. Attamen quando  
 in has ædes à DEO adductus es, vir-  
 tutes omnes hîc te docebimus, ve-  
 terique hac pelle abstractâ, novum  
 ac planè alium, quàm sis modò, ho-  
 minem te efficiemus, atque ut cum  
 DEI Amore colloqui possis, tete-  
 præparabimus: nam alioqui oleum  
 ac operam perdidideris. Itaque si vir-  
 tute[m] optas adipisci meam, necesse  
 est, hanc meam sororem, nempe Ap-  
 petitionem Contemptûs, quam an-  
 tē vidisti, cordi tuo tenaciter impri-  
 mas, sæpius ita cogitando, tecumq;  
 statuendo: Deinceps contemni vo-  
 lo, atque etiam desiderare vilipendi,  
 derideri, contumeliâ affici, duct  
 pro nihilo. Hoc in corde tuo fixo  
 desiderio, deinde oratione, studio,  
 labore, non quidem repente, sed  
 sensim, virtutem meam assequeris.  
 Et licet initio adversus sensitivam  
 portionem sive sensualitatem collu-  
 ctan-



ctando, laboris ac molestia plurimum sis toleraturus, attamen perseverantiâ victor evades: ad eò, ut quoties dictum factumve quippiam tibi erit, quod noles, gavisurus sis. Atqui vim quandam inferas tibi oportet, ut ignominiam, contemptum, ludibria appetas. Certum est enim, neminem, nisi qui justus sit, humilem esse, & quisquis despici, irrideri, vilipendi, contumeliâ affici & abjici non desiderat, eum minimè justum esse. **DESID.** Miror sanè, quod ais, eum injustum esse, qui cuncta hæc non appetat. Quis verò id esse potest? Ita namq; paucos invenies justos, prorsusque à vero tua mihi dicta abhorere videntur. **VIRG.** Facile doctorum meorum rationem tibi explicuero. In contesto est, eum justum esse, qui jus suum cuique tribui velit. Si igitur nihil homini, nisi contemptus, irrisio, contumelia debetur, injustus planè est, si



hæc ipsa non petat. *DESID.* Velim ista confirmes, plana que efficias, nihil scilicet homini præter contemptum ac ignominiam deberi. *VIRG.* Faciam id haud ingratis. Extra controversiam est, bonum omne meritò amari, honorari, expeti, inquiri, laudibus vehi debere, idque eò ampliùs, quò majus ac præstantius est: atque è diverso, malum omne meritò nos odisse, despiciere, respuere, persequi, ac pessum premere debere. Jam si verum est, unumquemlibet hominem malum esse, consequens fit, jure eum contemnendum, & odio ac derisui habendum esse. *DESID.* Doceas, oro, nullum non hominem malum esse. *VIRG.* Libens tibi morem geram. Solus *DEUS* bonus est, ergo omnis homo malus est. *DESID.* Equidem huic illationi vel consequentiæ non assentior. *VIRG.* Dialectici hac Ratiocinatione eam tibi probabunt: Nemo bonus nisi *DEUS*: Ergo quid-



quidquid DEus non est, non potest esse bonum, sed est malum: si autem homo malus est, jure illi omnis ignominia, probra, contumelia, contemptusque debetur.

*Ut Creaturae omnes bonae sint, & tamen nemo bonus sit, nisi DEUS.*

## CAPUT XVI.

DESID. Nimirum hisce rationibus tuis mihi needum satisfactum est, dum ais, solum DEum esse bonum, & quod DEus non est, id bonum non esse. Tamen scripta Divina testantur, vidisse DEum cuncta, quæ fecerat, & non solum bona, sed etiam valde bona fuisse. Deinde cum sit DEus bonus, (ut est revera summum bonum, atque rerum creaturarum omnium causa efficiens, fons & origo) bona quoque

E 5            sint